

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale Omnivm|| Animalivm|| Insectorvm

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVIII.

VD18 90529197



Illustration: Tab. III. Cimices [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11095

Cimices

Wantzen

Wandtleuf





est corpus a capite ad anum usque praeter oculos et pedes, qui atrii sunt. Oculos autem habet enormiter magnos, ac prominentes. Alvus in exilem acutiem velut acum definit.

Decimaquarta, etiam aquas prosequitur, toto corpore viridi, nigris, exiguis zonis distincto. Oculi prouberant. Alae qua corpori haerent argenteo colore, et splendore micant, dein coeruleae sunt, argenteis venis refertae.

Decimaquinta minimarum generis pedes habet longissimos. Araneorum pedibus non dissimiles, sed admodum exiles. Corpore, alisque ex luteo subalbidis est, cauda simplici.

Decimasexta ex minimis est, tota fere viridis, sed a lateribus tergoris lutea. Oculi candicant, pedes nigri sunt.

Decimasextima cum decima quarta admodum similis, pariter aquas petit, alvo coerulea, pectore viridi, alis primum argenteis, deinde coeruleis.

Decima octava, ex maximis, capite et pectore viridibus, dorsi lateribus, ubi alae enascuntur, nigris, alvo longa, coerulea, quam nigra linea lata coloris aterrimi mediam difsecat. Pedes atrii sunt.

Decimanona mediocrium generis toto corpore viridi, aurum resplendente. In dorso nigricat: alae cinereae sunt, et argenteo micant.

Vigesima alvum habet obrusam, ac minime bifurcatam, toto corpore ferrugineo, alis candidis, a latere ferrugineis.

Vigesima prima, ac postrema alvo est crassa, et brevi, lutea, nigris circumdata zonis, capite, pedibus, dorso, et alarum principiis ferrugineis. Alarum caetera candicant.

Moufetus in *Maximas*, *Medioximas* et *Minimas* dividit. De quibus idem ita. *Libellas maximas*, Angli quidam Brises appellant. Cujus generis octo tantum vidimus.

Primam virescentem; maculae item in collo summisque lateribus ex fusco virides ornabant, alae argenteae, veloces et motu imperum permagnum facientes. Septem illi ni-

grae lineae transversim in dorso erant protractae; muscis exilioribus inter volandum vescitur, hirundinum more.

Secunda huic est similis, sed obscuro magis colore.

Tertia oculos margaritis similes obtinet, alas item argenteas, quarum extremam fimbriam macula fusca inficit; corpus luteo, nigroque colore varium, cauda bifurca nigra, duabus quasi plumis ornata.

Quarta, luteo est colore, latera habens quasi divisa in sex partes: juxta alarum argentearum exortum macula lata nigra conspicitur; medio lineis luteis distincta: in caudae extremitate quatuor vel quinque spinulae apparent.

Quinta, corpore et capite caesio, ore nigro, alis argenteis una macula notatis: in cauda ultima tres spinulae tridentem referentes conspiciuntur.

Sextae alae adnascuntur argenteae, medio ipsarum nigra insignitae: totum corpus nigrum, sed rarius, item in dorso atque ventre lutescens: Pectus scapulaeque ex nigro flavoque aequae mixtae. Subter caudam duas spinulas recurvas trahit: in fine ejus quinque apparent, sed admodum exiguae.

Septimae caput, collum et scapulae, fusco sunt colore; reliquum corpus rubet: in Musaeo Pennii procreata fuit, ex vermiculo plane illi mihi ignoto.

Octava adhuc brevior, oculis margaritis similibus, toto corpore luteo, nisi ubi lineis transversim ductis notatur. Cauda illi quasi abscissa, in fine latiuscula et obtusa: argentearum alarum summitas nigra macula infusatur. Inter segetes plerumque reperiuntur.

Libellae mediae maximam naturae elegantiam commendant, omni arte majorem.

Prima colore est elegantissimo, corpore coeruleo, alis violaceo colore saturato: Inter scapulare spatium gemmis quatuor aureis, ceu in nigricante pala fixus ornatur.

Secunda corpore capite caesio apparet: alae albescentes, caesis item lineis

K